Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799

Quelle:
Copyright:

2. obſervata eſt. Ineunt omiſſa Quaeſtione: *Quid eſt Deus?* ab Reſponſo: *Deus eſt, quod nulla attingit opinio. Plus enim eſt. quam quiquid dici poterit aut cogitari* &c. et procurrunt usque ad *fol.* 69. ubi legas: *Explicit liber queſtionum XCIV. S. Auguſtini epiſcopi.* et continuo

III. *fol.* 69. *Incipit liber eiusdem de queſtionibus* XXI. et praemiſſo earum Indice Quaeſtio I. *Quid ſit, ut maledictus dicatur, qui non reliquerit ſemen in iſrael.* &c. Reſp. *Quoniam aliter, quam dictum erat, intelligi ceperat* &c. Quaeſtio haec in Editis eſt XVII. *de Vetere Teſtamento.* Itaque vides in Codice nequaquam cuſtodiri ordinem et diviſionem, quam *Mauriani* obſervaverunt. Habent enim illi praeter jam memoratas *Quaeſtiones V. et N. Teſtamenti* a *col.* 89. novam Seriem *Quaeſtionum Ex utroque mixtim,* quam Codex ignorat, ejusque Quaeſtiones paſſim cum aliis confundit. Poſtrema ei eſt *De Libro Geneſis,* quae in Editis *col.* 101. legitur, et multas alias poſt ſe habet *Auguſtino* non magis dignas, quam ſint omnes ceterae.

Codicem antice Fragmentum membraneum tegit Hiſtoriae Evangelicae in rhythmos redactae eleganter 2. columnis exaratum, cujus en ſpecimen:

Amen dico omnibus, nullus demonſtratus
Eſt maior, a femina dicitur qui natus,
Johanne, quo dominus fertur baptizatus.
Filius ſed virginis maior eſt probatus. &c.

CCCLIII.

U. 91 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 144. 4. a diverſis manibus conſcriptus, rubricis diſtinctus et a. 1540. ab *Joh. Fabro* Ep. noſtro addictus ſuo ad *D. Nicolaum* Literis ſtudentium Contubernio e ſequentibus Opuſculis conſarcinatus eſt: I. *Incipit prologus Libri dyalogorum Beati Auguſtini Epiſcopi percunctante Oroſio presbitero.* Teſtibus *Maurianis* T. VI. *Append. col.* 7. Codex unus *Vatic.* eodem modo inſcribitur. Prologus iſte init: *Licet multi doctiſſimi et probatiſſimi viri* &c. Prima vero *Oroſii* ſic dicti Quaeſtio: *In primis quero a te. Vtrum deus trinitas ſit* &c. Reſponſiones partim certe ex *Auguſtino*, partim vero ex aliis depromtae ſunt, quos vide *l. cit.* in *Monito* praevio. Quaeſtiones LXV. ſunt, et in Codice, ut in Editis, finiunt.

II. *fol.* 26. *Formula*, ut e calce praeoccupo, *honeſte vite ſecundum beatum Jeronimum.* Incipit: *Petis a me mi frater cariſſime quod nunquam et nusquam* &c. Monita opportuna quidem, ſed tam parum *Hieronymi*, ut ne quidem *Bernardi*, cujus T. V. edit. *Maur. col.* 794. proſtant.

III. *fol.* 29. *Epiſtola*, ut rurſus in calce, *Beati Bernardi ad quendam*